

tium reverteretur. Sed id eam ob causam accidisse constans opinio erat, quod in Perside bellum denuo recrudesceret. Cum enim, ut diximus, Sophus legatum oculis, auribus, manibusque privasset, arma in Turcarum fines intulisse, agros depopulatum fuisse, ferebatur. Ea improvisa Byzantium reversio, præter ceteros, maxime Cæsari opportuna fuit, qui impar ad tantum onus sustinendum viribus, nuper Possonii in Pannonia conventu habito, exigua admodum ad bellum cum Turca gerendum subsidia acceperat.

Turcici belli suspitione amota, ingentia diffidiorum semina in Italia exorta, publicam tranquillitatem turbavere; atque in dies magnis incrementis aucta, fere omnes Europæ Principes in eisdem anfractibus pertraxere. Vincentio Gonzagæ, Mantuæ Duci, defuncto tres filii superstites fuerant; Franciscus, qui patri successerat; Ferdinandus, quem Pontifex in Cardinalium collegium cooptaverat; ac natus minimus Vincentius. Franciscus anni superioris exitu popularum morbo correptus, una cum parvulo filio vitam cum morte commutaverat; Carolique Allobrogum Ducis filiam uxorem, atque ex ea Mariam filiulam, adhuc lactentem, reliquerat. Ferdinando Cardinale Mantuæ Duce inaugurato, statim inter eum ac Sabaudum controversiæ exarsere. Carolus filiam una cum puellula a Ferdinando dimitti petebat, earum ad se curam spectare, a matre filiam sejungi, in cujus tutela ex legum præscripto esset, non posse affirmabat. Contra Ferdinandus, æquum non esse, ut vidua, quæ fortasse Mantuanum Principem utero gestaret, alio, nisi emisso partu, concederet; fratris filiæ, quæ minor esset, ad se curam, non ad matrem attingere. Diffidia acriora efficiebantur, quod a Sabaudis in Montisferrati perampla ditione vetera jura suscitabantur; ad puellamque Francisco ortam, si matrem filia non genuisset, pervenire eas ditiones palam profiteretur. Ferdinandus vero, licet Caroli quinti Imperatoris judicio delatam Montisferrati Principibus possessionem hereditario jure a majoribus accepisset; tamen verebatur, ne Caroli ingens ac vividus animus inde aliquid rebus suis adversum moliendi, occasionem arriperet. Diffidentia inter Mantuanum ac Sabaudum in dies augebatur. Joannes Mendoza, Inojosæ

1613
Persæ de-
nuo arma
citra Tur-
cas movent.

Franciscus
Mantuæ
Ducis obi-
tus.

Ferdinan-
dus Dux
Mantuæ
inaugura-
tur.

Contro-
versia inter
Sabaudia
& Mantuæ
Duces.